



AMLETHUS filius fuit Horuuendilli & Geruthæ filiæ Rorici regis Daniæ. Hic cum Fengonis patrui sui insidias metueret, stoliditatis simulacrum amplexus extremum mentis uitium finxit, eoq; calliditatis genere non solum ingenium texit, uerum etiam salutem suam defendit. Equum etiam conscendere iussus, ita se de industria collocauit, ut suum equum ceruicis dorsum obuertens, aduersa caudam frōte spectaret, perinde atq; ea parte ruentis equi impetum moderaturus esset. Cum itaq; Fēgo nullum prudentiæ indicium in eo animaduerteret, atq; nihilominus ob eius interfectum patrem sibi metueret, nec tamen, ob Rorici aurum & coniugis offensam, eum ē medio tollere auderet, ipsum in Britanniam cum alijs sub specie legationis misit, atq; literis pro eius seculi more lignis insculptis, regi commenda uit, ut Amlethum interficeret. Verū Amlethus in itinere socijs ebris literas mutauit, atque commendatīas substituit. Itaque cum in Britanniam uenissent, rex insigni prudentia Amlethi motus, ei filiam suam uxorem dedit, atque multis muneribus ornatum in patriam remisit. Amlethus in patriam reuersus, Fengonem cum omnibus socijs ē medio sustulit, atq; ob præclarā indolem apud omnes in magna admiratione fuit, anno mundi termillesimo trecentesimo sexagesimo quinto.